PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

viderit te esse dicturum Gl Effare inquit vt videam et cetera

Capitulum septimum quod mulieres custodum ciuitatis communes esse debeant / Socrates / Glauco /

Hec inquam vt arbitror priores reliquas consequetur lex Gla Quenam illa So Mulieres huiusmodi custodum virorum esse communes · pueros item nullamque hiis feram seperatim here Gla Difficile hoc quidem de possibili pariter et vtili ad credendum erit So Non puto inquam de vtili fore disceptandum dumodo possibile appareat / quemadmodum maximum bonum est mulieres ac pueros esse communes / vtrum aut possibile futurum sit / pluriam arbitror contentionem suscituram Gla De ambobus inquit profecto disceptabitur So Sermonum itaque conspiratione dicis · ego iam ex alto putabam euasisse si istud tibi vtile suaderi potuisset · de possibili vero siue non restat disserendum Gla Frustra inquit hec effugiens latere temptauisti de vtroque itaque racionem reddito So Subeundum igitur est inquam iudicium / verum tantisper indulgeto michi / et festum agere sinito Quemadmodum hii qui mente ignaui cum soli ambulant solent a se ipsis epulari · Tales si quidem priusquam id quod maxime cupiunt inuenerint / illud omittentes ne cogitando fatigentur / vtrum possibilia sint aut minime que velint / tamquam existens quod appetunt ponentes / reliqua disponunt · gaudentque qualia facturi sint corde versantes / ex desidie alioquin animam in segniorem factitantes sic et ipse quidem animo delicior / aliquantisper illa differri cupies · que vtrum possibilia futura sint postmodum edisseram nunc aut vt possibilibus expositis / si id michi permiseris exequar quemadmodum a principibus dum fient disponentur quoque preterea dum facta fuerint ciuitati custodibusque vtilia habebuntur Hec iterum prius conabor exquirere demum

Lex ab Aristotele vituperata libro 2° politicorum

Similitudine propriam